

CARMEN 7  
IN LAUDES... ET  
MERITORVM PRÆDICATIONEM RE  
uerendissimi ac Magnifici Domini, D. Michaëlis Czakij,  
Ioannis secundi electi Regis Vngariæ &c. Consiliarij ac  
Cancellarij supremi &c. Domini ac Meccenatis sui  
perpetua gratitudine colendissimi,  
scriptum Calendis Aprilis

A  
IOANNE VETESIO  
alumno.

Vitebergæ excudebat Clemens Schleich,  
& Antonius Schöne.

Anno Domini  
M. D. LXIX.

*Paulus... 1509*

Tiszántúli Református Egyházkerület  
Könyvtára, Debrecen

RMK 390



**G**Loria si veterum factis & honore virorum  
 Parta viget donec mundus & astra manent:  
 Fama vetustatis fulget si clara per orbem,  
 Et seruat facti vera trophæa sui.  
 Si qua animi virtus Heroum laude peracta,  
 Æternum retinet non sine laude decus.  
 Si durat laudum rebus quæsitæ caducis  
 Gloria, & in saxis sculpta perennis erit.  
 Cur non insignis rerum mage fama tuarum,  
 Duret in æternos non moritura dies?  
 Tu quoniam virtute alios, studijq; tenore,  
 Exuperans factis fers diadema tuis.  
 Estq; animi spectata tui probitasq; fidesq;  
 Mæcenas, studij gloria vera mei.  
 Cui veterum virtus, mens & generosa virorum  
 Cedat, vt hæc cursu prosperiore fluat.  
 Nam si quis laudes ducta ratione repente  
 In numerum cogat ritè parare tuas.  
 Nobile cedit opus Fabij, ratione regentis  
 Nermas Imperij Roma superba tui:  
 Qui prudens hostes feruenti Marte furentes  
 Cunctando domuit, præsidiumq; tulit.  
 Cum iam plebs nimium longo quassata labore,  
 Hostis ab offensi dente necanda fuit.

Tunc hic sollicitè veteri de more fuorum,  
Hostis anhelantis castra proterua capit.  
Ast tua succrescens paulò maiora sequendo  
Virtus, Ingenij dexteritate viget.  
Nam finis haud hostem rabiosa mente minantem  
Surgere, & in gentis viscera fèrre manum.  
Sed prius ingenio causas ratione probatas  
Discutis, vt serues fœdera parta fide.  
Difficile est quoniam motas componere turbas,  
Armaq; pro pacis conditione sequi.  
Vtq; animi virtus celsa est in sede locata,  
Sic facis officij munera certa tui.  
Prospicis euentus rerum, Populiq; salutem,  
Hæc quanam possint conditione regi.  
Nestor vt ad Troiam maiorum insignis honore,  
Consilio Atridæ facta fidemq; regit.  
Vtq; Agamemnoneum sine labe & crimine seruet  
Nomen, consilij dexteritate facit.  
Sic tu pro Regni, Regis, Populiq; salute,  
Æternum seruas conciliasq; decus.  
Regis ad insignem laudem diadema ferentis,  
Accersis patriæ commoda multa tuæ.  
Ne quis ab incæpto studio, laudisq; decore  
Desistens, fallat spemq; fidemq; facis.  
Hæc nitor eloquij, virtusq; in honore reperta,  
Efficit, & patriæ laus celebrata tuæ.

Maius



Maius at hic<sup>s</sup>opus est, multò & præstantius omni  
 Officio, cuius gloria tuta manet.  
 Hæc tibi sunt proprio laudis quæsitæ labore,  
 Quæ superant veterum facta decusq; virum.  
 Non par virtutum decus est, sed cedit honori  
 Fama vetustatis C Z A K I E Magne tuo.  
 Tu nam pro sancto Domini & pietatis honore  
 Æternum renouas, conciliasq; decus.  
 Hæc hominum mentes meriti ratione probati,  
 Ne tua marcescat gloria, sponte mouent.  
 Sola etenim virtus mortis manet inscia amare,  
 Nec venit in mæstos fama probata rogos.  
 Hæc ego dum recolo, studiumq; ex ordine sector,  
 Attonitus meriti sum memor vsq; tui.  
 Cuius laus nostros penitus perfusa per artus,  
 Ad tua, Mæcenas, numina sponte vocat.  
 Te colit ingenium, virtus studiosa veretur,  
 Obseruans facti munera clara tui.  
 Munera clara voco, meritum, meritiq; nitorem,  
 Qui dedit ingenio semina vera meo.  
 Ipse etenim in cæno lapsus tenebrisq; profundis,  
 Te duce sum vitæ redditus vsq; meæ.  
 Dum stupet ingenium, patriæ dum limina sector,  
 Infelix vitæ multa pericla tuli.  
 Ast vbi clara dies rosea ceruice refulsit,  
 Tu mihi præsidium, portus & aura venis.

A iij In

In tua iura vocor, fatis voluentibus, vltro  
Vt benè sim tectus speq; fideq; tui.  
Nec studij cessat virtus, sed surgit in altum,  
Extendens meriti pignora aperta tui.  
Iustum opus exequitur, cæptoq; in honore refulget,  
Donec in expleto tempore leta siet.  
Indignum fateor: sed tendit ad ardua virtus,  
Crescit & incepto si manet illa modo.  
Accipit incrementa sui laudemq; meretur,  
Si studium constans & sine fine manet.  
Arctos igitur tandem transmissus ad oras,  
Hic vbi ferratis voluitur Vrsa rotis.  
Hic mihi monstrat iter Pallas, veterumq; reclusa,  
Dogmata in excelso pignore fida docet.  
Datq; loci signū, Magni monumēta LVTHERI,  
Hic vbi arenosa labitur Albis aqua.  
Néue parum prudens fallar, studiumq; relinquam,  
Astas ô oculis Magne PHILIPPE meis.  
Agnosco veterum de te monumenta virorum,  
Quorum laus, virtus, Ingeniumq; vigent.  
Hic ego iam felix studiorum sede reperta,  
Nomine sub vestro Clare Patrone steti.  
Ortus vt à patria, vitamq; in luce recepi,  
Sic vitæ ratio est hîc penè aperta mihi.  
Atq; vt eram primum patrijs nutritus in vlnis,  
A te sic vitæ regula culta venit.

Te



Te duce sic nostræ mentis referata refulsit,  
 Ianua & illius vis penè adempta redit.  
 His tibi pro meritis (quantum est mihi posse ferendi)  
 Æternum grates mente fideq; feram.  
 Spontè colam claròq; tuo sub nomine viuam,  
 Donec in hoc fragili corpore sanguis erit.  
 Nulla licet meriti pars est æquata propensi,  
 Quæ posset mentis munera vera dare.  
 Non tamen iccirco studium fideiq; tenorem,  
 Disijceam pauido ceu malè culta metu.  
 Sed te dum viuam memori pietate fideq;  
 Pro tantis meritis officioq; colam.  
 Vt meriti ratio viuam est, sic viuus honore,  
 Donec spumantes Luna tenebit equos.  
 Hec mecum pariter cuncti voluisse fatentur,  
 Qui tibi solenni tempore vota ferent.  
 (Et quanquam voluisse parum est, tamen ipsa voluntas  
 Grata est officij pro ratione sui.)  
 Vota ferent omnes, quorum tua gloria ad aures,  
 Venerit & meriti fama decusq; tui.  
 Vota ferent hominum turba & sacrata Iuuentus,  
 Quæ te præsidium sentit adesse sibi.  
 Te pia posteritas tantarum munere laudum,  
 Æternum laudans, officiosa colet.  
 Ergo nulla tuam poterit abolere vetustas  
 Famam, qua sola sidera clara petis.

Hæc

*Hæc meriti ratione tui, laudisq; tenore,  
Crescet in æternos non peritura dies.  
Te Deus ætherei sapiens moderator olympi,  
Seruet felicem speq; fideq; sui.  
Incolumem patriæ seruet, populiq; saluti.  
Ut studijs nostris portus & aura sies.  
Viue diu nobis, patriæ, Regisq; saluti,  
Cuius te viuo crescet honoris apex.  
Hic tecum longum pariter mansurus in æuum,  
Ad patriæ laudes clara trophæa ferat.  
Viuite felices patriæ successibus ambo.  
Vincatis Pylei tempora cara senis.*

F I N I S.

Vizsántóli Református Egyházközség  
Nagykönyvtára, Debrecen